



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

58. De vocatione & destinatione S. Willibrordi ad Episcopatum à Pipino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

De vocatione & destinatione S. Willibrordi  
ad Episcopatum à Pipino.

Ipinus, quamuis illicitis implicitus amoribus, cætera bonus Princeps, Ecclesiæ Catholicæ curam ex animo non deposuit. Audiens multam Frisiorum turbam fidei nomina dedisse, ac in dies plures accedere, de fixo stabilique Antistite eis destinando sollicitè meditatur. Erat quidem S. Swibertus Episcopus Episcopalia sacra Frisijs impendens, sed nullius certę sedis, nullius tituli; erat solum quasi prouisionalis, temporarius & ex temporis necessitate. Exigebat præterea Frisia Cardinalem & qui in longam posteritatem dignitatem seriatim transmitteret. Eò S. Willibrordum destinat cuius Sancti industria ipsi, omnibusque proceribus perquam erat probata.

Verum cur tam diu expectatum, antequam proprius Episcopus Frisijs, inter quos sexennium erat prædicatum, daretur? antequam sedes locareretur? antequam Willibrordus Episcopus peteretur? Responderetur multa retardasse. 1. fuerunt occupationes bellicæ in Theodericum Regem, Bertharium, quorum causâ Francia plurimum turbabatur, quibus deuictis, æmuli comprimendi, res Fraciæ componendæ. 2. Deliberatio de loco tuto Radbodo ethnico Christianis etiamnum offenso & minitante. 3. comparandæ dos Episcopalis, Authoritas Pontificia, sine qua nouos Episcopatus erigere non licet: termini diocesis circumscribendi. 4. Verosimile est etiã aliquã intercessisse oppositionem à Coloniensibus, qui suo Episcopo Vltraicæum

B b

traicæum

traiectum citioremque Frisiam vendicabant. Vide dissertationes postremas.

Hisce eluctatus remoris Pipinus accelerat : Willibrordum ad se euocat : Antistitis munus vt suscipiat persuadere inchoat, & quantum in se est, postulat. Qua de re ita perorat Alcuinus: *Cum studiosissime vir Dei (Willibrordus) per loca singula discurrendo, optatum Euangelisandi opus exercuisset, & semina vita superna gratia rore irrigante longè lateq; in agris multorum cordium ad eius prædicationem pullulassent, congaudens prædictus Francorum Dux (Pipinus) eius sanctissima deuotioni & verbi Dei clarissima multiplicationi, maiori profectus occasione prudenti cogitabat consilio eum Romam mittere, vi à Domino Apostolico Sergio viro Sanctissimo tunc temporis, in summi Sacerdotij honorem ordinaretur, quatenus Apostolicâ benedictione & iussione suscepta, maiori ab eo missus fiducia roboratus, in opus Euangelij reuerteretur, iuxta Apostolicum illud; quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Quod cum viro Dei persuadere tentaret, reuult primum, nec se tanta Authoritatis honore dignum esse referebat: enumeratisq; Apostolica sanctionis præceptis, longè se inferiorem huic Viriui catalogo asserebat, quem egregius mundi prædicator (Diuus Paulus) filium suum Timotheum erudiens, oportere Episcopum habere censuit. Ita Alcuinus. Horrescit vir humilis ad nomen tantæ dignitatis, tantos fasces sibi imponi refugit, non ignarus quot ab infulis curæ pendeant, quot gemitus annuli gemma tegat, quid molestiarum sub argentea pedi bractea tinniat. Optabat iam in siluis latitare cum Gregorio, in spelunca cum Chrysostomo, in insula cum Fulgentio, cum Cæsario in sepulchro. Verum quantumcumque fugerit, effugere non potuit. Vrgentis Principis immoto desiderio elabi non finitur, instantibus præsertim simul aliorum postulatis: Dux enim (pergit Alcuinus) contra religiose suavit, quod vir Dei verecundè negauit ac tandem*

dem omnium vnanimitate victus, &, quod maius est, Dei dispensatione coactus, consensit, magis volens plurimorum humiliter obedire consilio, quam suam pertinaciter defendere voluntatem. Quæ itineri ineundo conficiendoque necessaria forent, exinde procurantur.

## DISSERTATIO LIX

De profectioe S. Willibrordi versus  
Romam.



Mnibus ad profectioem paratis, circa Octobrem anni 696. viæ se committit, acceptis prius à Pipino commendatitijs ad Sergium Urbis Romæ Præsulem eius nominis primum; & credibile commendatitijs etiam ad viros potentiores in via, tam Ecclesiasticos, quam Laicos, illi ope & consilio vt assisterent, si opus. Vtinam cuncta domans vetustas non exesset eas, præberent stylo nostro materiam non exiguam. Addit Alcuinus : *& sic cum honorifica legatione & muneribus auctoritati Apostolica condignis Romam directus est.* Regij honoris olim erat muneribus conueniri. Regina Saba munera ad Salomonem attulit. Iacob filios ad Pharaonem Ægypti Regem destinans, deferri iussit viro munera. Reges Parthos non posse quemquam salutare sine muneribus, scribit Seneca Epist. 17. Tres Magi ad Regem summum vocati, tanto digna Regi munera attulerunt. De Franciâ legitur, Theodericum Regem consuesse se vno anni die ostendere populo, à quo salutatus & muneribus decoratus, cum & ipse reciproca